

Costituzione Apostolica "Super Gregem Dominicum"

Bull. Rom. Tom. 4, Part. 2, pag. 281.

Pius Papa Quintus ad perpetuam rei memoriam.

Supra gregem dominicum nostra vigilantia divinitus creditum, vigilis speculatoris, prout nobis desuper conceditur, exercentes officium, ad ea, per quae animarum saluti cum divini nominis gloria consuli valeat, libenter intendimus, ut christifideles post baptismum in peccata lapsi per sacramentum poenitentiae Deo reconcilientur.

1. Sane cum infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem sanaverat: Vade, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat, ac propterea provide fel. rec. Innocentius III medicis praeceperit, ut cum eos ad aegrotos vocari contingerit, ipsos ante omnia moneant, ut animarum medicos vocent, ne cum eis hoc in extrema aegritudine constitutis suadetur, in disperationis articulum incidant.

2. Nos igitur volentes hoc tam salutare praeceptum nulla temporis praescriptione aboleri, sed semper observari, constitutionem praefatam auctoritate apostolica tenore praesentium innovamus.

3. **Et hac nostra in perpetuum valitura constitutione, statuimus, et decernimus, quod omnes medici cum ad infirmes in lecto jacentes vocati fuerint, ipso ante omnia moneant, ut idoneo confessori omnia peccata sua juxta ritum S.R.E. confiteantur, neque tertio die ulterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo ejus conscientiam oneramus, concesserit et eis per fidem confessoris in scriptis factam constiterit, quod infirmi ut praemittitur peccata sua confessi fuerint.**

4. Conjunctos vero, ac omnes familiares et domesticos infirmi in Domino rogamus et monemus ut de infirmitate parochum certiores faciant, ac tam parochus quam conjuncti, et familiares praefati infirmum ad confessionem peccatorum suadeant et inducant.

5. **Quod si qui medicorum praemissa non observaverint, ultra poenas in dicta constitutione contentas quas incurrere declaramus perpetuo sint infames, et gradu medicinae, quo insigniti erant, omnino priventur et a collegio seu universitate medicorum ejiciantur, ac poena etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint mulcentur.**

6. Et ut haec omnia inviolabiliter observentur, volumus, et eadem auctoritate praecipimus, et mandamus, ut nullus posthac ubique locorum, in medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas a quovis collegio, et universitate concedatur, nisi omnia in praesenti nostra constitutione contenta, medio eorum juramento coram notario publico, et testibus observare in eorum manibus, vel Ordinarii juraverint, et de hujusmodi juramento in privilegio, seu licentia medendi specialis mentio fiat. Quod si collegia et universitates praefatae non recepto a promovendis juramento hujusmodi eosdem ad gradum praedictum promoverint, aut eisdem medendi licentiam praestiterint, poenam privationis facultatis alios ulterius doctorandi incurrant.

7. Mandantes in virtute sanctae obedientiae omnibus, et singulis venerabilibus fratribus, patriarchis, primatibus, archiepiscopis, et episcopis, quatenus in civitatibus, et dioecesibus propriis praesentes nostras literas publicari faciant, ac juramentum praedictum a medicis jam promotis seu licentiam medendi habentibus, omnibus juris remediis exigant, neque aliquos ad medendum in civitatibus et dioecesibus praedictis admittant, nisi eis constiterit eosdem juramentum hujusmodi praestitisse et contumaces, et jurare ac juramentum hujusmodi jam praestitum exhibere recusantes, gradu medicinae, et omnibus

privilegiis eisdem medicis, tam conjunctim quam divisim eis et eorum cuilibet concessis per quosvis etiam Romanos Pontifices privent, ac ab ingressu Ecclesiae arceant donec resipuerint.

8. Non obstantibus praemissis privilegiis, indultis, literis apostolicis, quibusvis personis collegio et universitati, sub quibusvis verborum formis et tenoribus concessis, quae omnia, quoad effectum validitatis constitutionis nostrae tantum, revocamus, cassamus et annullamus, et omnes principes saeculares ac alios dominos, et magistratus temporales rogamus, requirimus, et obsecramus per viscera miserieordiae Jesu Christi eisdem in remissionem peccatorum nihilominus injungentes, quod in praemissis omnibus, eisdem patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis assistant et suum favorem, et auxilium praestent ac contrafacientes poenis etiam temporalibus afficiant.

9. Volumus autem quod praesentes literae in cancellaria et acie Campi Florae publicentur et inter constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur.

10. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus, et etiam declaramus, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii subscriptis, ac sigillo alicujus praelati munitis, eadem prorsus fides ubicumque adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

*Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris
die VIII martii MDLXVI- Pontificatus nostri anno primo.*